

deum se humiliter excusavit/nuncq; mundo hoc dixit. Hoc au-  
 tem manifeste est mendacium; scriptum enim est in euangelio  
 Ioannis/q; ipse dixit seipsum filium esse dei, & tunc iudei vo-  
 luerunt eum quasi lapidare propter blasphemiam. Dixit autē  
 & seipsum equalem esse deo; & principium/quod soli deo ma-  
 xime est proprium; dixitq;: Si verbis meis non vultis credere  
 credatis operibus. Ante autē demonstratum est in tertio capi-  
tulo: q; impossibile est q; saraceni dicunt corruptū esse euan-  
gelium: & q; euāgelium quod est apud nos/& vetus testamē-  
tum debent suscipere: Sed & ipse Mahometus in capitulo Ela-  
caph/querit demonstrari ei auctoritatē libri qui scriptus est  
ante Alcoranum: Post hęc dicit de christo: q; ipse neq; crucifi-  
xus est/neq; mortuus: sed deus in fine mundi faciet hunc mo-  
ri & alia infinita mendacia/quorum contraria in euangelijs &  
alijs scripturis continētur:que longum esset enarrare. De deo  
 autem simpliciter asserit: q; nullo modo possibile est eum ha-  
 bere filium; quoniam uxorem non habet; & hoc continue re-  
 petit dicens pro alia quadam forti argumentatione. Hęc autē  
 argumentatio similis est/sicut si quis dicat: deum non esse sub-  
 stantiā/quoniā non habet accidens vel non viuere/ quoniam  
 non comedit vel respirat: fatua est talis phantasia/ & hominis  
 carentis intellectu & ratiōe. Christiani enim nō tanq; ex mulie-  
 re dant filium deo: sed sicut ex igne caliditatem/ex sole autem  
 splendorem/ & verbum ab eo qui loquitur quæ omnia ve-  
 re dicunt gigni: & si non ex muliere: filius enim dei splendor  
 est: & verbum sempiterni patris coeternū & cōsubstantiale/  
 & in eadem equalitate: Sicut autem caliditas & splendor non  
 separant ab igne: ignis tamen aliquādo a splendore nobiscū  
 sine caliditate cōmunicat: sicut in luce lampadis: aliquādo autē  
 caliditas absq; splendore est: sicut in accenso ferro: Sic & fili-  
 us dei potuit incarnari: & absq; q; incarnatus esset pater vel spi-  
 ritus sanctus: & si indiuisibilia sunt opera trinitatis: Sic rursus  
 filius dei/& verbum dei patris potuit insensibili libro scribi/  
 ut ab hominibus legeretur: & sensib: liter opera eius viderent  
 & esse carni vnitus. Et liber quidem scriptus/potuit interrum-  
 pi: verbum autem domini manet in eternum. Sicut & regis  
 mandatum; qui mittit verbum eius in libro ad terram que sub

Ioh. x. f.

Decimum mendaciū de deo.

Quō fili-  
us ex pa-  
tre.

Heb. i. a.  
Aptissima  
argumen-  
tatio a fili.

ps. cxviij.  
m.

c. iij.